

1. De Jure rerum, et Juris in re speciebus. P. Henr. Hahnig. R. G.
2. De Jure Apostolorum. P. Andr. Goetschke, R. J. Morder.
3. De libello in actione Hypothec. rite formando. P. J. F. Rivring. R. J. H. Meckner.
4. De Redintegratione Circulorum S. R. I. P. N. C. Lyncker, R. J. P. Rivring.
5. De facito pignore Locatōis in rebus Conductoris illatis, occas. L. 5. C. de Locat. P. J. H. Brückner. R. J. M. Stockig.
6. Henr. Cocceji Collationes Juridicae ad Sr. G. A. Struvium.
7. De natura et interpretatione Sponsionū. P. J. F. Ludovici. R. A. L. Hammer.
8. De captatoris Institutionibus. P. C. Thomafig. R. H. Thomae.
9. De Jure circa actus imperfectos. P. H. Coccej. R. J. H. Meijer.
10. De Compensatione Debitorū publ. P. J. C. Harprecht, R. G. Haroc.
11. De eo quod justum est durante Justitio. P. J. H. Böhmer. R. Cass. Wolde.
12. De causis ad Cameram Imperii non appellabilibus. P. J. S. Strzycki. R. Cassar de Lengerike.
13. De Investitura abusiva. P. S. Strzycki. R. J. F. Gmülfen.
14. De incerta Ambiguoŕe decisione. P. S. Strzycki. R. J. S. Hantfchel.
15. De causa incidente. P. S. Strzycki. R. J. F. Knorre.
16. D. Luderi Menckeni Paralelomena Juris admericula per Indicem proposita.
17. De jure precum publicarū. P. J. H. Böhmer. R. Frid. à Salern.
18. De Divortio propter infidias vitae structas. P. S. Strzycki. R. E. P. Memminger.
19. De eo quod justum est circa lucrum publ. P. J. H. Böhmer. R. H. Lochman.
20. De Sponsalibus de furto et de praesenti. P. Ideo. J. G. Grote.
21. De origine ac progressu Processus Inquisitorii contra Sagas. P. C. Thomafius. R. J. P. Ipsen.
22. De Concubinato. C. Thomafig.
23. De Matrimonio illustri ex ratione status. P. J. C. Nöfler. R. J. M. Auerbach.
24. Absolutio a juramento. P. J. H. Pott. R. J. G. de Werdeck.
25. Resolutio observantiae Canonicae. Zach. Bräfling.
26. De Bigamiae praescriptione. P. C. Thomafig. R. G. Longius.
27. De privatis Legatorū sacris. P. J. H. Böhmer. R. J. G. Heiring.



...ckney
...ing.
...
...

...

...

...

...

...man.

...ing.



40
~~20~~
Q. D. B. V.

Permittente

Magnifico Ictorum Lipsiensium Ordine

DISSERTATIONEM JURIDICAM

De

BIGAMIAE

PRÆSCRIPTIONE

Von Verjährung

Der zwiefachen Ehe/

SUB PRÆSIDIO

DN. D. CHRISTIANI THOMASII,

Præceptoris sui venerandi,

P. P.

GEORGIUS Geyer / Lipsiens.

Ad diem XII, Decembr. M. DC. LXXXV.

H. L. Q. C.

Literis JOHANNIS GEORGII.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side.


Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side.





DISPUTATIONIS
De
PRÆSCRIPTIONE BIGAMIÆ
Præfamen.

Sisto nunc alteram partem dissertationis de Crimine Bigamiæ, quæ separatim de hujus delicti præscriptione tractat, ut fidem nuper datam liberem, Se legi vero argumentum Dissertationis ex materia Criminum, non solum quod hæc sit in foro versantibus utilissima, sed & quod deprehenderim, eam rariorem esse, nec uspiam ex professo, quod dici solet, expositam, præterea disceptationis difficilioris, in qua ingenium exercere possem. Quamvis enim jam Carpzovius alicubi notaverit: Insignium & Clarissimorum Jctorum Scripta Criminalia hæctenus bene multa fuisse edita, quibus evolvendis hominis vita quantumvis diuturna vix ac ne vix quidem sufficere possit, quod prima fronte quivis vel solius Farinacii operibus Criminalibus convictus lubens fateri necesse habebit; idem tamen jure veretur, ne per istas variorum Commentationes ceu tenebris quibusdam mirū in modum involuta sint jura Criminalia. Quod si enim ex antiquioribus v.g. Farinacii (nam qui hunc novit omnes novit) scripta evolveris, nil nisi improbum ejus laborem admirari poteris, supeditantem tibi quasi locos communes ex barbaris Glossæ idololatriæ collectos. Si judicium quæsiveris, quamvis Diogenis



nis lucerna sis instructus, frustra adhibebis industriam. Ita omnia pro autoritate determinare voluerunt antiqui isti rerum criminalium scriptores. Quodsi leges adhibent, plerumque eadem à glossa ita sunt infectæ & contortæ, ut risum sæpius cohibere vix valeas. Non diffitendum equidem: post hos dari quosdam elegantioris literaturæ Jctos, qui magis delectant, magisque adjuvant, sive antiquitatem historicam & Juris Romani tradita expetas, sive quæstiones in foro quotidie occurrentes venari cupias, ex quibus, qui palmam reliquis dubiam faciunt, Antonium Matthæi ac Benedictum Carpzovium nominasse sufficiat, sed nec tamen negari potest, & hos in hoc argumento utilissimo multa reliquisse, in quibus operam impendere proficua possit veræ Philosophiæ hoc est Jurisprudentiæ addictus. Igitur quæ in præsentî exhibeo, æqui bonique consule Amice Lector & fave.

Summaria.

Status controversiæ §. 1. Præscriptionis homonymia §. 2. Præscriptio Criminum definitur §. 3. An præscriptio criminum justa sit? §. 4. Utrum jus naturæ præcipiat delicta esse punienda §. 5. Præscriptio Criminum directe non liberat à pœna sed ab actione criminali §. 6. Quomodo lapsus temporis producat effectus morales §. 7. Cur hic lapsus temporis in republ. definiri debeat §. 8. Sedes doctrinæ de præscriptione criminum in jure Romano §. 9. Ejus usus modernus in imperio §. 10. Connexio dicendorum §. 11. Præscribuntur vicennio crimina omnia etiam extraordinaria, etiam privata §. 12. Etiam capitalia & atrocissima, etiam occulta: rejicitur distinctio Farinacii §. 13. Vicennium hoc loco est Continuum non utile §. 14. & computatur naturaliter non civiliter §. 15. Exceptiones à regula de præscriptione vicenni §. 16. Proponitur communis Doctorum exceptio de criminibus quæ ne quidem vicennio præscribuntur §. 17. Rejicitur illa quoad crimen Apostasia §. 18. Quoad crimen partus suppositi §. 19. 20. Parricidii §. 21. & quoad reliqua crimina à Dd. excepta §. 22. 23. Altera exceptio de criminibus minori spatio præscribendis, qualia sunt crimina Lege Julia de adulteriis notata §. 24. ut stuprum, sub quo continetur & sodomia. Notatur Anton. Matthæi §. 25. adub.

adulteriam item, quod Jure Digestorum triplici tempore prescribatur §. 26. an & Jure Codicis? Exponitur l. 28. C. de adulteriis §. 27. Excipiuntur adulterium cum incestu junctum & stuprum violentum §. 28. Quanam alta crimina ad L. Jul. de adulteriis spectaverint §. 29. An & incestus eo pertinuerit? rationes pro affirmativa §. 30. quibus responderetur & contrarium ostenditur ex l. 4. de question. §. 31. Erroris istius origo mala expositio Glossa. §. 32. Defenditur ulterius ac explicatur Sententia Ulpiani d. l. 4. de question. §. 33. 34. Exponitur locus Ammiani Marcellini §. 35. Incestus absque adulterio vel stupro quo tempore prescribatur §. 36. Adulterium quo tempore prescribatur de Jure Saxon. §. 37. Rationem indulti quinquennii in criminibus legis Juliae non esse clandestinitatem delictorum ista lege notatorum §. 38 39. Liberat prescriptio criminum non solum ab accusatore, sed & ab officio judicis §. 40. Debet itaque Judex eam omissam ex officio supplere §. 41. Quatenus prescriptio criminum à pœna liberet? §. 42. An ea opponi possit, si delinquens per vicennium fuerit in fuga §. 43. Utrum confessio post vicennium facta obstet prescriptioni? §. 44. 45. Resp. ad principalem questionem: Quo tempore crimen bigamia prescribatur. Rejicitur (1.) opinio eam nunquam prescribi §. 46. Rationes pro (2.) opinione quod Bigamia prescribatur vicennio §. 47. Probatum sententia (3.) eam prescribi quinquennio §. 48. Computari tamen debet quinquennium à die bigamia finita §. 49. Quot modis Bigamia finiat §. 50. Finitur etiam si conjux innocens prior conjugium primum per sententiam judicalem curaverit dissolvi §. 51. non vero si de facto conjux prior aliam duxerit. §. 52. Finitur bigamia si bigamus pœnitentia ductus se ab altera conjuge segregat §. 53. nec opus hic erit sententia judiciali §. 54. Quinquennium non habet locum jure Saxon. in bigamia duplicata §. 55. Respondetur ad rationes sententiæ secundæ §. 56. 57. 58. 59. Conclusio & præjudicia duo Dominorum Scabinorum §. 60.

§. 1.

Questio, de qua præsens discursus instituatur, est: Quo tempore crimen bigamia prescribatur? Ad cujus decisionem antequam perveniamus, sciendum prius est, quid sit bigamia? quid item sit prescriptio criminum? Ac de Bigamia quidem nuper abunde differuimus, restat igitur ut de prescriptione criminis quædam prænotemus.

A 3

§ 2. Præ

§. 2. Præscriptio sumitur vel pro acquisitione juris a) seu qualitatis moralis activæ, vel pro liberatione à qualitate morali passiva, hoc est, obligatione b). Priori modo actionem producit, posteriori, quo hujus loci est, c) exceptionem, d) qua voce tamen hic in lata acceptione e) uti liceat, prout sub se modos tollendi obligationem ipso jure comprehendit, quales communiter à Doctoribus solent exceptiones facti appellari. Nam & præscriptio ipso jure aliquem ab obligatione liberat, f) intelligitur autem hic per præscriptionem exceptio illa in specie, quæ in tempore fundatur g) quamvis alias in genere quælibet exceptio præscriptionis nomine venire soleat. b)

a) l. un. Cod. de usuc. transform. b) t. t. ff. de divers. temporalibus præscript. junct. t. t. C. de præscript. 30. vel. 40. ann. c) l. 12. C. ad l. Corn. de falsis. d) l. 8. § fin. l. fin. C. de præscript. 30. l. 40. ann. e) uti accipitur etiam in l. penult. ff. de Publ. in rem. act. f) l. si pupillus 45. de administr. & peric. tut. junct. l. 53. ff. de solut. l. un. C. de usucap. transform l. 3. C. de præscr. 30. & 40. ann. Zang. Part. 3. cap. 10. n. 17. seqq. g) ut in tit. de divers. & temporal. præscript. h) Rubr. ff. & C. de except. & præscr. l. 11. & pen. ff. eod. l. 8. l. pen. & ult. C. eod.

§. 3. Definimus exgo Præscriptionem Criminum quod, sit liberatio de actione criminali per lapsum temporis lege definiti.

§. 4. An vero crimina salva iustitia naturali præscribantur? quæstio præjudicialis est: Sane ex communi Doctorum opinione inter præcepta Juris naturalis refertur: reos esse puniendos, quod præceptum maxime violari videtur, si eadem princeps, qui sub lege naturali est, impunita propter solam temporis diuturnitatem relinquat, cum lex naturæ obliget perpetuo, & quod semel ea lege injustum est, mille annis non possit fieri justum. Ut taceam utilitatem Reipubl. cujus maxime interest delicta non manere impunita, quod frequenter inculcarunt Juri Romani. a). Sed ad ea facilis est responsio, etenim principaliter præscriptio criminum non eum in finem est inventa, ut delicta de quibus aliquis convictus est, impunita maneant, sed potius, ne propter summam factorum incertitudinem ex temporis diuturnitate provenientes innocentes, in quos suspi-

suspicio criminis alicujus cadit, indebita afficiantur poena, aut beneficio defensionis priventur, quod & ipsum post longum temporis lapsum propter interitum probationum maxime difficile redditur *b)*. Igitur directo praescriptio criminis non intendit remissionem delicti de quo constat, sed potius remissionem actionis super delicto dubio. Quemadmodum enim in civilibus causis praescriptio temporis necessaria visa est, ut esset litium aliquis finis, nec semper incerti maneat cives de dominio rerum suarum: ita eadem necessaria visa est in causis criminalibus ut accusationum aliquis finis esset, nec semper incerta spe atque expectatione penderent, quicumque criminis alicujus insimulantur.

a) l. 13. pr. de off. praesid. l. 9. §. 5. de public. & vectig. l. 51. §. 2. ad L. Aquil. *b)* vid. Lauterb. disp. de praescript. Crim. tb. 10. *c)* Anton. Matth. de crim. lib. 48. tit. 19. n. 4. pr.

§. 5. Deinde nescio an veritate nitatur commune istud assertum quod vult; jus naturae praecipere, delinquentes esse puniendos. Sane nulla ratione assequi possum, quomodo ea doctrina assumpta in salvo esse possit jus aggratiandi, quod tamen uno ore Principi tribuunt Politici atque Jcti. Et ut à priori etiam ista hypothesis infringatur, constat: poenam esse dolorem qui propter delictum infligitur à superiore communis emendationis ac per consequens etiam asssecurationis & tranquillitatis publicae gratia. Finis igitur omnis poenae, quatenus ex lumine rationis demonstrari potest, est utilitas Reipubi. Res publ. vero vel is qui in ea summam potestatem habet, pro utilitate poenas infligit. Nunquam autem lex naturalis obligat aliquem, ut utilitatem suam procuret, quin potius regula vulgaris docet: quemlibet juri suo ac utilitati renunciare posse; Magis igitur ex vero poenae impositionem Grotius *a)* quam ex jure naturali descendere dicit, quod id dicitur, non debere, sed posse puniri eum qui deliquit. Quamvis ob hanc causam communiter à Commentatoribus suis vapulet *b)* sed immerito.

a) de J. B. & P. l. 2. c. 20. §. 3. *b)* vid. Dn. Osian. obs. ad d. l. §. 4. Valent. Velthem. ad d. l. q. 3.

§. 6. Diximus; *a)* praescriptionem criminum directo intendere remissionem actionis super delicto dubio, non remissionem poenae delicto certo impositae, hinc & in definitione posuimus verba; quod sit libera.

liberatio ab actione criminali. Atque idem inculcant Leges Romanae: Prohibent enim *ne excitetur* scil. per actionem criminalem *crimen* per praescriptionem *sopitum* b) docentque *querelam de crimine excludi per praescriptionem* c) Hinc & accuratius non simpliciter crimen, sed *questionem de crimine praescribi* d) asseruerunt, etsi usus modernus Doctorum velit, ne phrasin istam; *praescribere crimen* amplius respiciamus.

a) §. 4. b) l. 29. §. 5. ad l. Jul. de adult. c) l. 12. C. ad l. Corn. de falsis. d) l. 3. de requir. vel absent. damn.

§. 7. Reliqua definitionis verba quod attinet, videri quidem dubium poterat, quomodo lapsus temporis, qui haud dubie est ens physicum, vel certe affectio entis physica, possit producere liberationem ab actione, quae est effectus moralis, cum tamen dictum modo a) sit, nec lapsum mille annorum ex justo posse facere injustum aut vice versa. Sed ad haec tenendum est, tempus ipsum sibi relictum nullum effectum moralem producere, sed effectuum horum ut omnium entium moralium causam esse voluntatem, & quidem respectu horum effectuum, qui occasione temporis oriuntur, esse voluntatem humanam, quae vel in dubio ex lapsu temporis diuturni colligitur, quod optime demonstravit Grotius, b) vel expresse effectum moralem per determinationem & adjectionem temporis aut suspendit aut terminat, ut adeo frustra & sine ratione praegnanter Jcti Romani statuerint, perpetuari obligationem meam, si Titio decem in singulos annos, quoad vixerit, dare spondiderim, etiam post Titii mortem, quia tempus non possit esse modus tollendi obligationem. c.) Nam quemadmodum ad hanc rationem facile ex dictis responderi potest; ita & conclusio quam exinde deduxerunt, est nullius momenti, subtilitatisque inutilis. Etsi enim perpetuetur mea obligatio, non tamen cogor aliquid inde praestare, sed libero me per exceptionem pacti vel doli. d) Quod idem est ac si dicerem: dabo tibi vestimenta, sed hac conditione ut nudus incedas.

a) §. 4. b) lib. 2. cap. 4. §. 6. seq. c) §. 3. Inst. de V. O. l. 44. §. 1. l. 56. §. 4. ff. eod. d) dd. textt.

§. 8. Igitur in praescriptione criminum non tam tempus est causa praescriptionis, quam voluntas principis, temporis lapsum saltem ut requisitum aliquod praescriptionis requirens. Innuit hoc definitio nostra, dum

dum dicit: *per lapsum temporis lege definiti.* Considerat vero Princeps in indulgenda præscriptione criminum, ut diximus, incertitudinem delictorum & difficultatem probandæ innocentiae, quæ etsi pro varietate circumstantiarum varient, ita ut hoc delictum decennio, alterum vicennio, tertium quinquennio & ita porro difficulter detegi possit, & innocentia rei quoque in uno delicto per longiorem temporis tractum facilius probari possit, quam in altero, adeoque dicendum videri posset temporis lapsum non in genere à principe definiri debere, sed arbitrio iudicis esse relinquendum: quoniam tamen hic controvertitur de re magni præjudicii & frequentius de vita hominis; non facile debet princeps iudicis arbitrio, qui affectibus sæpius est obnoxius, ejusmodi determinationem committere, præprimis cum & præscriptio criminum fundet se in utilitate publica, cujus æstimatio principaliter ad solum principem pertinet. Per principem autem hic intelligo quemvis qui habet *τὸ νόμιον* in Civitate.

§. 9. In Republica Romana regulariter vicennii tempus præscriptioni criminum fuit præfinitum. Innuunt hoc Imperatores Diocletianus & Maximianus. *Querela falsi, inquit a) temporalibus præscriptionibus non excluditur, nisi viginti annorum exceptione, sicut cætera quoque fere crimina.* Autores vero hujus determinationis videntur fuisse Severus & Antoninus Imperatores, quod ex loco Marciani colligi poterit, *b) Quamcunque questionem, ait, apud fiscum, si non alia sit præscriptio, viginti annorum silentio præscribi Divi Principes voluerunt.* Memoraverat autem paulo ante *c) Marcianus dictos Imperatores.* Parallela his sunt quæ dicit Hermogenianus: *In omnibus inquit d) fisci questionibus, exceptis causis, in quibus minora tempora servari specialiter constitutum est, viginti annorum præscriptio custoditur.* Jamdum vero apud Græcos Solon crimina silentio vicennali extinguere sanxerat, *e) quem forte & Romani in sua determinatione respexerunt.*

a) l. 12. C. ad L. Corn. de falsis. b) l. 3. ff. de requir. vel absent. damnand. c) l. 1. pr. ff. eod. d) l. 13. de divers. & temp. præscript. e) vid. Lauterb. d. disp. th. 2.

§. 10. Hanc de criminum præscriptione determinationem Juris Romani servant non solum mores hodierni in Imperio Romano, sed nec ab ea Jure Saxonico recessum est. Nullum tamen est dubium, quin hanc determinationem in Imperio Romano mutare possint respectu

B

totius

totius Imperii Imperator, sed eum consensu statuum, respectu singulorum territoriorum vero status ipsi, item Nobiles immediati & Civitates Imperiales, non autem mediati, nec municipales. a)

a) hac omnia latius executus est Lauterb. d. l. th. 3. --- 10.

§. 11. Ut vero distinctius intelligatur quinam Juris Romani disponentis, quod *crimina vicennio regulariter praescribantur*, sensus sit, secundum ductum singulorum vocabulorum exponemus 1. qualia *crimina* vicennio praescribantur, 2. quomodo computetur *vicennium*, 3. quanam *crimina* ab hac *regula* eximantur, & 4. quanam sit *praescriptionis* hujus efficacia.

§. 12. Praescribuntur vicennio *crimina* omnia, quae non in specie sunt excepta, a) ergo etiam extraordinaria, b) ergo etiam privata, quatenus de iis criminaliter agitur. c) Caeterum an & hoc vicennium extendendum sit ad actiones civiles quae ex delictis dantur, an item praescriptio vicennalis in accusatione v. g. injuriarum criminali locum habeat, & quae possunt esse quaestiones similes, hic definire non vacat, cum ad scopum nostrum nihil faciant d). Id nobis certum videtur; quod asserit Dn. Lauterbach: c) in publicis delictis elapso licet vicennio adhuc civiliter & ad interesse ac damna illata resarcienda agi posse, ex constitutionibus Carini f) & Diocletiani g) non probari, cum in hac posteriori ne jota reperiat, quod ad praescriptionem vicennii trahere possis, & in illa quamvis dicatur, civiliter quari posse de fide scripturae, etiamsi criminaliter coeptum iudicium interventu indulgentiae sopitum sit, tamen per illam *indulgentiam* non intelligi praescriptionem sed abolitionem, cuius, ut puto, apparet: Nec aliter intellexerunt Glossa & Gothofredus in commentariis suis.

a) probant hoc evidenter textus supra §. 9. descripti. b) arg. rubr. de extraord. crim. c) Lauterb. d. l. th. 12. d) vid. tamen Lauterb. d. th. 12. Anton. Matth. d. tit. 19. c. 4. n. 6. seq. Farinac. Oper. crim. lib. 1. q. 10. n. 34. Gebhard. de usucap. c. 3. n. 13. p. m. 522. e) d. th. 12. in fin. f) l. 9. C. ad L. Cornel. de fals. g) l. 16. C. eod.

§. 13. Ulterius siue *crimina* sint capitalia siue non capitalia, siue atrocia, siue atrocissima, siue facti transeuntis siue facti permanentis, praescriptio vicennalis in iis habet locum, a) quia lege non distinguente nec nostrum est distinguere. Sed quid si *crimina* sint quae occul-

te fuerint commissa? Ex identitate rationis idem erit dicendum. *b)* Neque distinguimus cum Farinacio, *c)* utrum delictum tali modo sit occulte perpetratum, ut nihilominus facile per diligentem & generalem inquisitionem Curiae sive accusatoris potuisset in notitiam Curiae devenire, an vero ita sit occultum, ut per quamcunque diligentem investigationem non potuerit de eo notitia haberi. Etsi enim pulchram vocet hanc distinctionem Farinacius, veramque credat assertionem, quod priori casu currat praescriptio vicennii à tempore delicti commisi, quia Curia vel Accusator sibi imputare debeat, quod non adhibuerint diligentiam debitam, posteriori vero etiam post vicennium actio criminalis possit institui, quoniam hic nihil possit imputari fisco; quam doctrinam etiam videmus placuisse Theodorico: *d)* nobis tamen eadem fundamento destitui omnino videtur, cum Farinacius nullam aliam ejus afferat rationem, quam quod praescriptio inducta sit propter negligentiam. Hanc enim causam minus genuinam certe non principalem esse ex iis, quae supra *e)* diximus, patet; Quin potius ex rationibus ibidem adductis inferimus contrarium. Nam si delictum ab initio ita est occultum ut per diligentem investigationem non detegi possit, sane post lapsum vicennii probatio ejus, vel ex parte rei defensio innocentiae, si non impossibiles, certae difficillimae evadent. Igitur si in praescriptione 10. vel 20. annorum, qua res immobiles acquiruntur, nulla scientia vel ignorantia expectanda est: (addo: nec distinguitur: Utrum aliquid sciri potuerit vel minus,) quanto minus in hac vicennali praescriptione id desiderandum erit. *f)* Ut illud taceam, quamvis in praescriptione actionum civilium non negemus simul puniri negligentiam privatorum, quod juribus suis indultis intra determinatum temporis spatium non fuerint usi, ad praescriptionem tamen criminum hanc negligentiae poenam propter apertam diversitatis rationem accommodari haud posse. Nam accusare respectu actoris, certe inquirere respectu judicis non tam ad facultates morales & jus Judicis quam ad ejusdem obligationem referri debet, qua obstrictus est reipublicae. Neque puniretur adeo Judex aut accusator per id, quod post vicennium amplius actionem criminalem formare non possent, quoniam ipsorum hac parte directo non interest, sed utroque casu lueret negligentiam alienam Respubl. quod foret iniquum.

a) Lauterb. *tb.* 13. *b)* *vid. Dd. à Lauterb. d. tb.* 13. *citatos*

B 2

& Fa-

§ Farinac. d. q. 10. n. 12. c) d. l. n. 13. d) Colleg. Crim. Disp. 10. th. 7. lit. d. d) §. 4. f) verba sunt Antonii Matth. d. tit. 19. c. 4. n. 9.

§. 14. Ex his facile constat tempus vicennii hoc loco non utile esse sed continuum: De initio dubium non relinquunt modo dicta. De cursu idem dicendum erit, quoniam leges hic non notant, utiliter tempus computandum esse. In dubio autem præsumetur magis tempus esse continuum quam utile, quoniam istud magis naturale est. Hic tamen notandum, quod istud initium computandi in criminibus, quæ continuantur tractu temporis, sumi debeat non à tempore incepti sed finiti delicti, v. g. in crimine apostasiæ, quoniam hoc per omne vitæ spatium continuatur, (nisi quis poenitens in gremium veræ Ecclesiæ iterum fuerit receptus) adeoque non nisi morte delinquentis finitur, non poterit etiam præscriptio vicennii locum habere, quia deficit initium cursus, adeoque dicitur, quod nullis temporibus huiusque criminis indago arceatur *a)* Deinde si delicta sint iterata, vicennium computari debet à tempore ultimi delicti commissi. Uade si quis per decennium v. g. latrocinatus est, præscriptio homicidii non numeranda erit à tempore primi anni sed post decennium præterlapsum. Nam etiamsi dicere velles, post lapsum vicennii à tempore primi anni præscriptum esse primum homicidium, sufficit tamen, quod à tempore ultimi homicidii in fine decennii perpetrati nonnisi decem anni præterlapsi sint. Jam vero singula homicidia poenam mesentur. Simili ratione, si quis ante decennium falsam scripturam fecerit, eamque hodie dolo malo producat, nova vicennii præscriptione ab hodierno tempore computanda erit opus, cum duo distincta delicta sint, falsam scripturam conficere, & eadem dolo malo uti, *b)*

a) l. 4. C. de apostatis. b) Farin. d. q. 10. n. 10:

§. 15. Porro in præscriptione vicennii tempus non civiliter ut dies cceptus habeatur pro completo, sed naturaliter computari debere distincte probat Dn. Lauterbach, *a)* quem exscribere hic nolumus.

a) d. l. th. 19.

§. 16. Quæ hæctenus de præscriptione vicennii diximus, procedunt regulariter. Dantur vero uti ab omni regula ita & ab hac exceptiones legibus ipsis inuentibus *a)*. Et has quidem duorum generum esse.

esse volunt communiter Juris Interpretes, scilicet ut vel præscriptio vicennalis non sufficiat, vel minoris temporis spatio ad fundandam exceptionem debeamus esse contenti. Prior ex male intellectis legibus ortum duxit, posterior vero Jurisprudentiæ Romanæ est conveniens. De singulis seorsim.

a) *vid. supra §. 9.*

§. 17. Dicunt ergo Doctores: regulam nostram limitari in crimine suppositi partus, parricidii, hæresis, læsæ majestatis, apostasiæ, assassinii, falsæ monetæ, simoniæ, concussionis, abortus &c. In his enim nullam currere præscriptionem, sed perpetuo adversus reos horum criminum inquiri eosque accusari posse, a) Quam recte, ex testibus & rationibus quas adducunt, constat.

a) *conf. Farinac. d. q. 10. n. 29.*

§. 18. Quoad *apostasiam* quidem res videtur esse confecta propter clara verba Constitutionis Imperialis, a) in tantum ut & ipse subtilis Wissenbachius b) exceptionem agnoscat, rationemque exceptionis suppeditet istam, quod hoc crimen in divinam majestatem committatur & in eo poenitentia locum non habeat. Sed contrarium monstrant ea quæ jam supra c) disseruimus. Et responsio quidem, quam ibi dedimus videtur omnium simplicissima. Diverse respondent alii. Antonius Matthæi d) verba *nullis temporibus* explicat: id est nullo breviori tempore. Nam, addit, si immortalis esset ea accusatio, etiam mortuo reo quandocunque institui posset. At non nisi intra quinquennium à morte defuncti computandum testamentum ejus everti potest, e) accusatio igitur immortalis esse nequit. Gvazzinus f) vero vivente Apostata currente quinquennalem præscriptionem, post mortem autem ejus esse perpetuam g) statuit, licet Bartolus tradat, quod etiam post mortem tale crimen quinquennali præscriptione claudatur. Denique Jacobus Gothofredus h) Imperatores Theodosium & Valentinianum in præfata constitutione i) perpetuam hujus criminis accusationem post mortem Apostatæ fecisse docet, sicut Apostasiæ crimen non præscribitur, cum temporariam tantum & quidem quinquennalem esse voluisset Valentinianus Junior k) exemplo querelæ inofficiosi. Quo mirum magis, ita pergit Gothofredus, Tribonianum utramque constitutionem in Codicem suum coniecisse, quæ adeo inter se contrariæ sunt, nullaque satis commoda ratione conciliari possunt, quicquid tandem alii distinguant.

quant. In singulis his Matthæi, Gvazzini & Gothofredi explicationibus non pauca sunt, quæ notari merebantur, si expositio dictarum legum principaliter ad institutum nostrum faceret.

- a) *l. apostatarum 4. C. de apostat.* b) *ad ff. tit. ad leg. Jul. Majest. tb. 14.* c) *§. 15.* d) *d. c. 4. n. 4.* e) *haud dubie respexit Matthæi ad l. 2. C. de apostat.* f) *de defensione inquisitorum Def. 2. c. 2. n. 77.* g) *adducit Gvazzinus pro sua sententia d. l. 2. § 4. C. de apostatis* h) *ad L. 7. C. Theod. de Apostatis lib. 16. tit. 7.* i) *d. l. 4. C. de apost.* k) *l. 2. C. eod.*

§. 10. In crimine *partus suppositi* provocati sunt ad textum Pauli: a) *Accusatio suppositi partus nulla temporis præscriptione depellitur, nec interest decesserit nec ne ea quæ partum subdidisse contenditur, ubi quidem quoad verba ultima eorumque intellectum non facile poterit esse dubium, illa eo respicere, si mulier decesserit & alii participes maleficii adsint.* b) At quod initialia verba attinet, notat equeidem Glossa c) tanquam aliquid speciale contra Constitutionem Diocletiani, quod dicatur: *Accusationem suppositi partus nulla temporis præscriptione depelli, sed Antonius Matthæi d) ejusque discipulus Wissembachius e) putant respici à Jcto ad quinquenni præscriptionem, qua adulterii accusatio depellitur, ut sensus sit: si mulier adulterium commiserit & partum supposuerit, quamvis adulterii accusatio quinquennio perimatur, non tamen suppositi partus, eam enim durare annos viginti. Juvat hanc Matthæi explicationem, quod in supra f) recensita Diocletiani & Maximiani constitutione etiam querela falsi non dicatur excludi temporali præscriptione, quam tamen iidem Imperatores statim subjiciunt excludi exceptione viginti annorum, ut adeo stylo Juris Romani in materia criminum per temporalem præscriptionem videatur tale tempus intelligi, quod vicennio minus est.*

- a) *l. 19. §. 1. adl. Cornel. de falsis.* b) *vid. l. 2. de Carbon. edict.* c) *ad d. l. 19. § 1.* d) *de Crimin. ad lib. 48. tit. 2. cap. 4. n. 10. & tit. 19. c. 4. n. 3.* e) *ad ff. de adult. tb. 14.* f) *§. 9.*

§. 20. Adde, inquirendum esse, annon crimen *suppositi partus* debeat referri ad delicta, quæ tractu temporis continuantur. Nam sane crimen ibi incipit quidem à suppositione partus, sed facta semel suppositione crimen nondum est consummatum, sed continuatur
tam-

tamdiu, quamdiu suppositus habetur aut venditatur pro partu genuino. Hoc pacto eadem ad hanc Pauli legem esset responsio, quam supra a) de Apostasia dedimus ut ea evadat Pauli sententia. *Accusatio suppositi partus*, quamdiu partus suppositus vivit, nulla temporis prescriptione depellitur, quoniam prescriptio vicennii demum computatur à consummato delicto, crimen vero suppositi partus vivente partu supposito nondum consummatum est.

a) §. 15.

§. 15. Pergo ad *Parricidium*. Et hoc delictum vicennio non prescribi communis est sententia propter doctrinam ejusdem Pauli: a) *Eorum qui parricidii pœna teneri non possunt, semper accusationem permitti assistentis*. Sed hic per τὸ *semper* non intelligi tempus ultra vicennium, sed tempus quinquennio longius ex loco parallelo Venuleji b) satis dilucide constat.

a) l. f. ad L. Pomp. de parricid. b) l. 13. ff. de SCto Silan. conf. Matthæi & Wissenb. dd. ll.

§. 22. Atque hi sunt textus, qui Glossam eamque postea nimis supine secutos Doctores deceperunt, ut statuerent dari quædam crimina, quæ nec vicennio prescriberentur. (Provocat equidem Farinacius a) & ex eo Gravazzinus b) quoad crimen abortus ad legem Tryphonini, c) ego tamen ingenue fateor, me nec per somnium videre, quale inde extruere velint argumentum,) Quemadmodum autem alias dato uno absurdo sequuntur plura, ita & semel admitta contra mentem Juris Romanorum exceptione hac non potuerunt non Glossæ admiratores plura crimina a regula communi excipere, quæ jam supra d) dedimus, quamvis apertum esset, exceptiones illas nullo textu niti. Videbatur enim istis Juris Interpretibus inconueniens, Apostasiam & parricidium omni prescriptione indigna judicare, Hæresin vero, Blasphemiam, Simoniam, Læsæ Majestatis crimen, assassinium & falsationem monetæ sub regula velle comprehendere, cum tamen hæc delicta, si non majora prioribus, certe tamen iis nullo modo videantur esse postponenda.

a) d. q. 10. n. 29. b) d. cap. 2. n. 74. c) l. Cicero 39. ff. de pœnis.
d) §. 18.

§. 23. Sed urgent tamen Doctores isti pro sua sententia, quod Diocletianus in constitutione sua a) à prescriptione vicennii quædam cri-

crimina innuat esse excepta per particulam ferè, quæ sententia falsa esset, si non concederetur, in quædam crimina ultra vicennium inquiri posse. Verum salva res est. Poterant per nos Doctores etiam provocare ad textum Marciani, ibidem supra à nobis exhibitum, ubi Marcianus etiam expresse asserit, viginti annorum præscriptionem locum habere, si non alia sit præscriptio. Ex his enim locis nequaquam sequitur Diocletianum & Marcianum voluisse; quædam crimina ne quidem vicennio præscribi, sed potius innuere voluerunt, nonnulla crimina minori temporis spatio excludi. Clare hanc explanationem suppeditat Hermogenianus & ipse supra appositus. Hic enim à præscriptione vicenniali non excipit causas majus tempus desiderantes, sed causas, in quibus minora tempora servari specialiter constitutum est.

a) vid. § 9.

§. 24. Igitur ordo postulat, ut nunc & de his differamus, non fufe, sed quantum ad scopum nostrum conducit. Conducit vero quam maxime, ut de criminibus ad L. Juliam de adulteriis pertinentibus dispiciamus. a) De his distincte Ulpianus b) differit: *Quinquennium observari legislator voluit, si reo vel rea stuprum, adulterium vel lenocinium objiciatur. Quid ergo si aliud crimen sit, quod objiciatur, quod ex lege Julia descendit, ut sunt: qui domum suam stupri causa præbuerunt & alii similes? & melius est dicere, omnibus admisissis ex lege Julia descendentibus quinquennium esse præstitutum.* Regulam vidimus ex Ulpiano, jam licet seorsim de singulis criminibus disquirere eademque quomodo applicari possint ad regulam, dicere.

a) de reliquis criminibus qua tempore vicennio minori præscribuntur vide Farinacium, Gvazzinum, Lauterbachium dd. ll. b) l. 29. §. 6. ad l. Jul. de adult.

§. 25. Ac stuprum quidem quod attinet, nullum est dubium, spectare id ad Legem Juliam & expresse Legislatorem voluisse, quod præscriptio quinquennii in eo locum habere debeat. Quid vero sit stuprum, lubet exponere verbis Antonii Matthæi: a) *Stuprum, inquit, in specie ita dictum quidam definiunt illicitam virginis deflorationem. Et hoc imperite, quis enim nescit stuprum committi etiam cum puero & vidua? quis nescit esse virgines nonnullas quorum tamen defloratio extra penam legis sit? Igitur ita dictum oportuit: stuprum est corruptio pueri aut*

aut vidua aut virginis honesta. b) Sed de pueri stupro, quod frequentius
hodie sodomiam & sodomiticum scelus appellamus, sequenti capite tra-
ctabitur. Ex dictis sua sponte sequetur, etiam ex hypothese Romano-
rum & ex mente legis Juliae, stuprum pueri, quod Modestinus c) sub
stupri voce comprehendit ait, & Tribonianus dicta lege Julia prohibitum
esse docet d) quinquennio praescribi. Unde mirandum, quid eidem
Antonio Matthæi venerit in mentem ut in capite sequenti e) sequen-
tia scriberet: *Tempus hujus accusationis, scilicet de crimine sodomiae,
quod attinet, viginti annorum esse puto: Neque enim lex Julia, cum
stupro accusando quinquennium praescribit, de Venere monstruosa sensisse
videtur. Et cum incestus usque ad annum vicesimum accusari possit,
absurdum foret non idem obtinere in flagitio graviore. Quomodo
enim legem Juliam de stupro loquentem de Venere monstruosa non
sensisse asserere potuit Matthæi, quum in verbis modo datis sub voce
stupri etiam corruptionem pueri comprehendit recte docuerit. Nisi
forte dicere velis, in loco posteriori Matthæum respexisse magis ad
reliquas Sodomiae Species, praecipue ad illam nefandam libidinem,
quæ cum brutis exercetur; quas sub voce stupri in lege Julia inclusas
fuisse non poterit probabiliter defendi, quo tamen pacto inquirendum
foret, an hæc crimina nobis quidem Christianis nefanda à Romanis pla-
ne pro criminibus fuerint habita, & si id factum fuerit, annon forte alio
Legis Juliae capite ea fuerint prohibita. Alterum autem Matthæi argu-
mentum ab incestu desumptum ad Sodomiam nihil firmi infert. Ratio-
nem quippe disparitatis mox dabimus.*

a) de crimin. lib. 48 tit. 3. cap. 5. n. 2. b) l. inter liberas 6. §. 1. ff.
ad l. Jul. de adult. l. inter stuprum 101. ff. de V. S. §. item lex Ju-
lia de adulteriis. Inst. de publ. Jud. c.) l. 34. §. 1. ff. ad L. Jul. de
adult. d) d. §. item Lex Julia. de pub. Jud. conf. Brisson ad
l. Jul. de adult. p. m. 30. Edit. Heidelb. e) d. l. c. 6.
n. ult.

§. 26. Pergimus ad adulterium. Et hoc quinquennio praescribi
Ulpianus docet, sed ex aliis textibus hæc doctrina ita suppleri debet, a)
quod accusatio adulterii tollatur vel quinquennio continuo ex die ad-
missi criminis computando vel utili semestri. Adultero accusando
quinquennium praefixum est, adulteræ sex menses utiles à die divortii,
qui tamen & ipsi ita computari debent, ne excedant quinquennium con-
tinu-

C

tinu-

tinuum b.) Ex mensibus illis sex duo primi, id est sexaginta dies utiles dantur marito ad accusandum jure mariti, id est, ut præferatur aliis & accuset sine inscriptione, nec timeat calumniæ poenam si crimen non probaverit c.)

a.) *vid. Wissenb. ad Pand. tit. ad L. Jul. de adult. tb. 24. b.) d. l. mariti 29. §. sex mensium & seqq. l. quinquennium 31. ff. eod. l. 5. & 28. C. eod. l. 1. §. accusationem ff. ad SCtum Turpill. c.) l. 6. l. quamvis 30. vers. inprimis C. de adult. l. 11. §. quarebatur ff. eod. l. auxilium 35. §. 1 ff. de minor.*

§. 27. Et ita quidem distinguebatur secundum Jura digestorum. Coeterum Jure noviori solam quinquennii præscriptionem observari ex Bachovio & Treutlero observat Lauterbach. a.) An vero hæc sententia firmiter ex ea, quæ adducitur, Diocletiani b.) lege, probetur, valde dubito. Dicunt enim Imperatores quod, *in questione adulterii præscripti juris ambages debeant removeri & abolita esse ceteræ præscriptiones præter quinquennii temporis & lenocinii quod marito objicitur, exceptionem.* Hic igitur sub voce præscriptionis intelligitur exceptio, statuiturque quod præter exceptionem lenocinii & præscriptionis quinquennii aliæ exceptiones non debeant habere locum. Quemadmodum vero & Jure Pandectarum principaliter præscriptio quinquennii ut modo vidimus attendebatur, neque tamen propterea præscriptio semestris aut sexaginta dierum excludebatur, ita quoque posses dicere, Diocletianum in sua constitutione sub præscriptione quinquennii etiam semestrem & sexaginta dierum tanquam priori subordinatas subintellexisse, aliasque saltem exceptiones voluisse excludere. Quas vero? Hoc ego jam quidem non definiam, c.) cum textus sit valde obscurus, ut ejus sententiam vix possis intelligere, etiamsi scholia Gothofredi & commentationem Glossæ & sex summaria à Glossatoribus constitutionibus præfixa non superficiali studio perlustres.

a.) *d. disp. tb. 15. b.) l. 28. C. ad L. Jul. de adult. c.) conf. interim Ant. Matth. de crimin. l. 48. tit. 3. cap. 4. n. 15.*

§. 28. Quæ vero de quinquennali adulterii & stupri præscriptione dicta sunt, duplici modo limitantur. Nam incestum, qui cum adulterio conjunctus est, præscriptione quinque annorum non excludi, docet Ulpianus, a.) idemque, b.) una cum Marciano, c.) inculcat, eos qui per vim stuprum intulerint, sine præscriptione temporis accusari posse,

posse, cum raptus aut stupri violenti crimen legis Juliae de adulteriis potestatem excedat, & ad legem Juliam de vi pertineat. Utinam vero & Ulpianus primae limitationis de incestu cum adulterio conjuncto rationem dedisset. Jam silente Ulpiano silet & Gothofredus & Glossa (quae ne plane nihil annotet, ut saepius alias, ita & hic inepte sibi scrupulum movet: an, quemadmodum incestus adulterio junctus praescriptionem quinquennii non admittit, ita nec admittat eandem adulterium incestui junctum. Quaestio Domitiana, quam tamen dubitanter & cum metu Glossa adhibita particula *forte* affirmat.) Non tamen silet Brissonius, d.) quia scilicet *Incestus* lege Julia non coercetur. Demonstrabimus hanc rationem paulo post.

a.) l. 39. §. 5. de adult. b.) l. 29. §. fin. eod. c.) l. 5. in fin. ad L. Jul. de vi publ. d.) tract. ad L. Jul. de adult. p. m. 131.

§. 29. De lenocinio, quod & ipsum Ulpianus quinquennio praescribi docet, nihil nunc quod speciatim notari mereatur, occurrit. Id magis notabile, quod praeter haec tria stupri, adulterii & lenocinii crimina Ulpianus asserat, omnia reliqua delicta ex Lege Julia descendunt quinquennio praescribi. Quæres enim non sine ratione, quænam sint ista reliqua crimina. Exemplum quidem suppeditat Ulpianus ipse de eo qui domum suam stupri causa praebeat quod caput Legis Juliae sic effert Papinianus: a.) *Qui domum suam, ut stuprum adulteriumve cum aliena matrefamilias vel cum masculino fieret, sciens praeberit, cujuscunque sit conditionis, quasi adulter punitur.* Sed praeter hoc etiam ad alia capita Ulpianus respexit, quia provocat ad casus *alios similes*. Indicat haec Tryphoninus, b.) docens Legem Juliam pro adulterio etiam punivisse, *si adulterii damnatam sciens quis uxorem duxerit & eum, qui pro comperto stupro, h. e. ne deprehensus in adulterio stuprove prodatur, pretium acceperit*: Et de his casibus Ulpianum Glossa, eamque *forte* secutus Brissonius c.) exponunt.

a.) l. 8. ff. ad L. Jul. de adult. ad cujus explanationem facit l. 9. §. 10 ff. eod. b.) l. 37. §. 1. versic. Dixi ff. de minor. c.) ad L. Jul. de adult. p. m. 107.

§. 30. Jam quid de incestu dicemus? Annon & ad hunc Ulpianus in verbis: *& alii similes*, respexit? Ita senserunt Farinacius a.) & Guazinus b.) qui inter crimina Lege Julia de adulteriis coercita etiam incestum

cestum recensent. Facit pro hac sententia, quod non solum communi-
ter Doctores in expositione tituli digestorum ad Legem Juliam de adul-
teriis simul explicent incestum, sed & quod Ludwell e.) asserat, Lege
Julia de adulteriis omnem illicitum coitum coerceri qui legibus probi-
betur & punitur; item quod Schüzius d.) profiteatur; Lege Julia agi de
omnibus delictis carnis. Quid quod nullum amplius appareat rema-
nere dubium, cum incestus vel stupri vel adulterii species esse videatur.
Pro stupro facit, quod S. hardius e.) scribit: Stuprum dividitur in stu-
prum specificum, adulterium & incestum. Pro adulterio videtur pu-
gnare Huberus f.) dum ait: incestum sive per stuprum live per matri-
monium admissum poena adulterii affici:

a.) d. q. 10. n. 15. b.) d. def. 2 c. 2. n. 46. c.) Exerc. ult. ad Instit.
t. b. 4. d.) in compend. Juris ad L. Jul. de adult. mit. e.) in
Lexico Juris voce stuprum. f.) in posit. ad instit. de publ. Ju-
dic. posit. 22:

§. 31. Sed quemadmodum communis error alias non facit jus,
ita nos non patiemur nobis hic imponi autoritatibus Doctorum, fun-
damento legum vel rationum destitutis. Nam quas leges adducit a.)
Schardius, probant saltem stuprum in lata acceptione comprehendere
adulterium. De incestu nihil probant. Quod vero Huberus dice-
bat, incestum ut adulterium puniri, id quoad Incestum, qui per ma-
trimonium fit, ex textu quidem Papiniani b.) ad quem provocat, etiam
non probatur; & contrarium verius esse patebit ex mox dicendis.
Et quid verbis opus est? Sane nihil apertius potest esse effato Ulpiani
alio: c.) *In incestu, inquit, ut Papinianus respondit, & est rescri-
ptum, servorum tormenta cessant, quia & Lex Julia cessat de
adulteriis.*

a.) scil. l. inter liberas & l. si adulterium ff. ad l. Jul. de adult.
b.) l. 38. pr. eod. c.) l. 4. ff. de questionibus.

§. 32. Quæ verbis Ulpiani cum perspicue asserant Legem Juliam de
adulteriis non coërcuisse incestum, magnus oriebatur nobis scrupulus,
qui evenit, ut Juris interpretes ulla destituti ratione contrarium asse-
rere fuerint ausi; Non sine causa suspicabamur Glossam, quæ ut fere
omnium errorum in expositione juris occurrentium mater est (cum Juri-
antiquiores cæco impetu expositionem Glossæ, quam magis veneraban-
tur

tur ac leges ipsas, fuerint secuti, ex novioribus vero pauci invisam istam
industriam, errores communes nimium radicos evellendi adhibeant)
ita & hanc erroneam doctorum de incestu opinionem à Glossâ originem
sumere non videbatur improbable. Neque nostra nos fefellit suspicio;
Ita enim ad verba Ulpiani, quibus assererat, in incestu cessare legem Ju-
liam de adulteriis, notavit Glossa: Hoc est verum ex capite adulterii, sed
tamen incestus est unum ex capitulis ejus. Et ne frustra hanc explica-
tionem à Glossa doceri putes, provocat insuper ad Tryphoninum, a.)
ac si statuat, incestum alio capite Legis Juliae prohiberi. Nobis vero
apud Tryphoninum hujus sententiæ nec volam nec vestigium deprehen-
dere licuit.

a.) d. l. 37. §. fin. de minoribus.

§. 31. Quod si forte pro Glossâ id afferre velis, totum Ulpiani lo-
cum videri suspectum, quod scilicet asserat, in incestu servorum tormen-
ta cessare, eaque locum habere in criminibus à lege Julia de adulteriis
notatis, fatebitur non esse de nihilo, quæ hic objeci possunt, & ma-
jori industria in iis removendis opus esse, quam in refutanda Glossa.
Sane Cicero in defensione Milonis, a.) aperte ait: *De servis nulla que-
stio est in Dominum, nisi de incestu, ut fuit in Clodium.* & alibi b.) *De
nostrorum etiam prudentissimorum hominum institutis, qui cum de servis
in dominos queri nolissent, de incestu tamen & Conjuracione, qua facta
me consule est, querendum putaverunt.* Huic affine est, quod Valerius
Maximus; c.) narrat: *M. Antonium incesti reum fuisse actum, ejusque
in judicio accusatores servum in questione perseverantissime postulasse quod
ab eo, cum ad stuprum iret, laternam prelatam contenderent.* Et huc
etiam forte respexit Livius, dum *Minutiam Vestalem incesti accusatam
decreto pontificum jussam esse sacris abstinere familiamque in potestate ha-
bere docet, hoc est, ut Wilhelmus Godelevæus, d.) notat, ne servos
manumitteret, cum pontifices eos ad confitendam veritatem tormentis co-
gi volentes metuerent, ne Minutia servos à quibus prodi posset, manumit-
teret.* Jam quod Legem Juliam de adulteriis attinet, Ammianus Mar-
cellinus e.) memorat, *in stupri questione mancipia in Domini caput
torqueri vetuisse clementissimas leges.*

a.) p. m. 554. Sect. 22. b.) in partitionibus. c.) lib. 6. cap. 8.
hist. 1. d.) in not. ad d. l. Livii p. m. 153. e.) Hist. lib. 28. p.
m. 391.

§. 34. Sed defendi poterit Ulpianus ab his objectionibus. Nam ad ea quæ de incestu allata sunt, respondebimus, distinguenda esse tempora. Ante legem Juliam incestus causa servos in Domini caput quæstioni fuisse subjectos, eoque locum Ciceronis & exempla Valerii & Livii esse referenda. At legem Juliam in adulterii causa servorum adversus dominos quæstionem introduxisse, & ita incestus crimen, quod ea lege comprehensum non erat, ex ea quoque legis severitate evolasse. a.) Vel etiam dici potest: ante legem Juliam etsi de adulterio aut stupro ageretur, servos non solere in Dominos audiri, sed neque si de incestu, nisi publica sacra ceremoniæque violatæ dicerentur, ut in Antonio & in Clodio. Nam quod alio loco Valerius, b.) ait: M. Antonium incesti hujus postulatum esse apud L. Cassium Prætozem, hoc manifeste indicat tum fuisse postulatum, cum rogante Sexto Peducio Tribuno plebis creatus est Prætor L. Cassius, ut post L. Merellum Pontificem Maximum de incestu cum vestalibus Licinia & Martia, c.) recognosceret. Porro Augustum quæstionem de servis admisisse in adulterio, in incestu cui nihil aliud conjunctum est, non admisisse, non quod adulterium sit gravius crimen, sed quia tale delictum vix sine servorum ministerio committitur: incestum, ut soli sint, qui natura conjuncti sunt, nemo præsumserit. d.) Igitur secundum hanc responsionem in allatis exemplis incestus sumeretur de concubitu cum personis DEO dicatis, de quo jam non quærimus, nec de eo Ulpianus loquitur. Cæterum quod locum Ciceronis & exemplum Clodii attinet, possis etiam dicere, Ciceronem per incestum ibidem ipsum adulterium intelligere. Quemadmodum etiam in latissima significatione incestus dicitur crimen quod committitur cum ea, cum qua illicitum alioqui matrimonium fuisset. Ita notum est, Ciceronem vocibus incestus, adulterii & stupri uti promiscue. e.) Constat autem Clodio præter alia crimina etiam adulterium fuisse objectum. f.) Atq; hanc responsionem video etiam placere Tabori, g.) ac, quem hic citat, Cujacio.

a.) ita Briffon. ad L. Jul. de adult. p. m. 134. b.) lib. 3. c. 7. exempl. 9. c.) conf. Freinshem. supplem. in Liv. lib. 63. cap. 5. seqq. d.) vid. Ærod. rerum Judic. lib. 8. tit. 2. cap. 7. e.) vid. Schardii Lexicon Juris voce Incestus. f.) conf. Ærod. d. l. lib. 6. tit. 1. cap. 32. g.) de tortura c. 5. §. 12.

§. 35. Quod autem Ammianus Marcellinus ait, in stupri quæstione

ne

ne leges noluisse servos in caput Domini torqueri, adeo Ulpiano non contradicit ut potius cum eo amice conspiret. Concedit Ulpianus in Crimine adulterii servum torqueri, negat id Marcellinus in crimine stupri. Utrumque recte. Utramque enim sententiam inculcat Papinianus, a.) ut adeo & secundum hanc distinctionem intelligi debeant constitutio Severi atque Antonini, b.) & doctrina Marciani, c.) quamvis alias lex Julia stupri ac adulterii voce promiscue utatur. d.) Nec igitur opus habemus, Ammianum cum Ærodio. e.) exponere de temporibus ante legem Juliam, aut Friderici Lindenbrogii censuram nostram facere ad Ammiani sententiam illud notantis. f.) Mirum hoc quidem & verba legis expresse aliud statuunt. g.) Sed cum Ammiano facit Tullius in oratione pro Milone: De servis nulla lege quæstio est in Dominum nisi de incestu: quæ verba in mente habuisse Marcellinum verosimile est.

a.) l. 17. pr. & §. 1. ff. de quest. b.) l. 1. C. eod. c.) l. 5. ff. eod.
d.) l. 6. §. 1. ff. ad L. Jul. de adult. e.) d. l. 8. tit. 2. cap. 7. f.)
in observatione ad d. l. Marcellini p. m. 181. g.) d. l. 5. ff. de
quest. d. l. 1. C. eod.

§. 36. Manet igitur verum quod Ulpianus dixit, incestum lege Julia non fuisse notatum, & exinde jam constabit etiam, utrum incestus in se & absque concursu cum crimine stupri quinquennio aut vicennio præscribatur? (Est enim incestus conjunctio illegitima cum personis quæ vel ratione consanguinitatis vel affinitatis ratione sunt prohibita, facta vel affectione conjugali vel absque ea.) Farinacius, a.) & ex eo Gvazzinus, b.) incestum solum absque adulterio quinquennio præscribi asserunt, quoniam nimirum statuunt incestum Lege Julia fuisse prohibitum, iique rationem, cur incestus cum adulterio conjunctus vicennio præscribatur, eam asserunt, quod duplicatum hic sit delictum, ex qua sententia sequeretur si quis v. g. adulterium commiserit & stuprum, quod & hic vicennium ad præscriptionem requiratur, quod tamen nolim asserere. Verius est, quod statuit Antonius Matthæi & Decianum defendere narrat Gvazzinus, d.) ac ita in praxi Saxonica receptum est, e.) incestum etiam solum vicennio præscribi tanquam delictum à lege Julia alienum & simul hanc rationem genuinam esse, quod adulterium, cui incestus conjunctus est, non præscribatur quinquennio.

a.) d.

a.) *d. q. 10. n. 15. § 19.* b.) *d. defens. 2. c. 2. n. 46.* c.) *de crimin. lib. 48. tit. 3. c. 6. n. ult.* d.) *l. n. 48.* e.) *vid. Carpz. Prax. Crim. q. 141. n. 49. § quos citat Lauterbach. d. disp. tb. 15. in fin.*

§. 37. Jure Electorali Saxonico præscriptio quinquennii in adulterio duplicato locum non habet, a.) sed tunc ad vicennalem recurrendum. b.) An vero etiam respectu simplicis adulterii hoc Jure quinquennale tempus abrogatum sit, olim Doctores & judicia Saxonica dissenserunt, quibusdam Constitutionem Electoralem etiam ad adulterium simplex extendere volentibus. c.) Sed postquam Serenissimus in novissimis decisionibus, d.) istam litem sustulit & sententiam Dominorum Scabinorum jam ante firmioribus rationibus nixam confirmavit, præscriptionem quinquennalem in simplici adulterio admittentium, à prolixiori hujus quæstionis disceptatione tanquam frustranea merito abstinemus.

a.) *propter Constit. 14. Part. 4.* b.) *Wesenb. in addit. ad Schneidewin. Inst. de usuc. tit. de Spec. præscript. num. 50.* c.) *vid. Finckelthuf. obs. 6. Lauterb. d. disp. tb. 21. Dn. Schilter ad ff. ad L. Jul. de adult. Exerc. 49. tb. 89.* d.) *decis. 84.*

§. 38. Cur vero Legislatores Romani præscriptioni criminum vicennale tempus præfiniverint, ad ea spectat, quorum ratio reddi nequit. a.) Idem sentiendum esse arbitror, cur brevius tempus criminibus lege Julia notatis concesserint. Posses equidem ex iisdem quæ supra b.) disseruimus sic inferre: Si probationis difficultas in criminibus generale præscriptionis criminalis fundamentum est, sua sponte videtur fluere, citius vicennio absolvi debere præscriptionem in ejusmodi delictis clandestinis, in quibus major probandi difficultas deprehenditur, citiusque probandi media evanescent. Ac videtur præterea hæc ratio apposite convenire non solum adulterio & stupro, utpote quæ sæpissime, si non semper remotis perpetrantur arbitris, & difficillime, ut ex processu criminali notum est, probantur, sed & peculatu, qui & ipse quinquennio præscribitur, c.) nam & hic quasi species furti est adeoque clandestinitatem præsupponit. d.) Quin & applicari poterit ista ratio ad accusationem lex Senatus Consulto Siliano de apertis tabulis cui etiam quinquennium præfinitum est, e.) quoniam apertura testamenti clandestinum fieri potest.

a.) *vid.*

a.) *vid. Lauterb. d. disp. th. 14.* b.) §. 4. c.) l. 7. ad L. Jul. peculatus d.) *arg. l. 1. l. 4. pr. ff. eod.* e.) l. 13. ad SCrum Silanianum.

§. 39. Quodsi tamen penitus paulo rem perpendas, ratio ista indulti in quibusdam criminibus quinquennii pro genuina vix haberi poterit. Quippe jam supra a.) affirmavimus, præscriptionem vicennalem etiam in criminibus occultis locum habere. Neque præterea illud urgebo, quod pleraque delicta reliqua, præprimis quæ ex præmeditata proæresi oriuntur, clam committantur, quodque adulterium & stuprum aliquando satis aperte patrentur, adeoque secundum opinionem istam sequeretur, in delictis etiam reliquis clanculum commissis præscriptionem quinquennalem, in adulterio vero & stupro quandoque vicennalem præscriptionem locum inventuram, quod absurdum. Sane quod Senatus consultum Silanianum concernit, etsi apertura testamenti clam fiat, poterit tamen, quoniam est delictum facti permanentis, facile probari. Et non solum ille punitur SCto qui tabulam aperit sed & qui hæreditatis aditione, quæ facta satis conspicuo contingit, notam ejus incurrit. b.) Porro si peculatus seu furtum pecuniæ publicæ ob clandestinitatem præscriberetur quinquennio, cur non & furtum rerum privatarum, cujus contrarium tamen etiam adstruximus superius. c.) Denique si adulterio quinquennium ex ista ratione esset præfinitum, multo magis incestus qui difficilius probatur d.) quinquennio foret excludendus, neque conjunctus cum adulterio hoc crimen perpetuaret.

a.) §. 14. b.) l. 5. §. 2. ad SCt. Silan. c.) §. 13. d.) *vid. §. 35.*

§. 40. Restat, ut videamus, quid operetur præscriptio criminum? Liberat videlicet delinquentes plenissime tam ab accusatione, quam ab inquisitione Judicis, quod posterius prolixius deduxit Lauterbach, a.) in tantum ut ipse Farinacius b.) asserat, judicem qui post lapsum præfixi temporis præscribentem condemnat, non tantum male & inique agere, sed & ultimo supplicio plectendum esse, si scilicet eodem affecerit præscriptione liberatum.

a.) *d. disp. th. 11. §. 24.* b.) *d. q. 10. n. 2.*

§. 41. In eo autem non conveniunt Doctores: Utrum Judex,

D

dex,

dex, si reus non comparuerit, aut exceptionem præscriptionis non opposuerit, eam ex officio supplere teneatur. Farinacius a.) plures alios secutus putat hoc interesse inter eum qui non deliquit, & illum qui præscriptione liberatus est, quod ille absens & contumax non possit condemnari, hic possit, ut & iste, qui exceptionem præscriptionis non opposuit. Contrariam sententiam veriore esse dicit Guazzinus, b.) cujus opinioni & nos accedimus, c.) tanquam argumentis legum d.) magis convenienti & à Sereniss. Saxoniae Electore approbatæ. e.)

a.) d. q. 10. n. 35. seqq. b.) d. defens. 2. cap. 2. n. 14. seqq. c.) cum Lauterb. d. th. 25. Carpz. p. 1. Const. 25. def. 3. & Prax. Crim. q. 141. n. 36. d.) arg. l. 1. §. generaliter ff. de legat. prestand. l. 8. de public. in rem act. junct. l. 19. de poen. l. 1. l. 18. §. 9. de quest. & l. 6. de appellat. e.) d. part. 1. const. 25. Carpz. dd. 11.

§. 42. Etsi itaque præscriptio criminum ab omni inquisitione & accusatione liberet, non tamen liberat à poena directò, quod jam supra a.) ostendimus. Dicimus directò. Nam per consequentiam etiam quis liberatur à poena, quatenus in delictum non amplius inquiritur. Et ita intelligo Lauterbachium, b.) dum ait, elapso legitimo præscriptionis tempore reos ab omni poena liberari, & Carpzovium c.) tradentem: adulterii reum præscriptione quinquennii non solum ab ordinario supplicio, sed & ab extraordinaria poena liberari. Nam ipse Lauterbachius d.) fatetur hanc præscriptionem esse saltem poenarum inferendarum non impositarum, & Carpzovius e.) statuit, non posse allegari præscriptionem, si accusator ante præscriptionem completam libellum accusationis porrexerit, aut Magistratus ex officio inquisitionem formaverit. Tunc enim in criminalibus dici præscriptionem interruptam, idque ex communi Doctorum sententia extendit Farinacius, f.) etiamsi nulla citatio sit emissa, in eo enim inter civiles & criminales actiones esse differentiam, de quo tamen non sine ratione quis adhuc dubitare posset, præprimis cum Guazzinus g.) contrariam sententiam dicas esse magis communem. Multo magis vero procedet ista sententia, si reus jam fuerit condemnatus & postea aufugerit, aut contra absentem inquisitio fuerit instituta, isque propter contumaciam fuerit proscriptus. h.)

a.) § 4.



a. §. 4. *infin.* & §. 6. b.) *th.* 24. c.) *Prax. Crim.* q. 59. n. 7.
d.) *ib.* 26. e.) *qu.* 141. n. 53. f.) *d.* q. 10. n. 28. g.) *d. def.* 2.
c. 2. n. 91. h.) *Farinacius & Carpz. dd. U.*

§. 43. Quod si vero delinquens statim delicto commisso fuga sibi consuluerit, & magistratus durante vicennio inquisitionem non formaverit? Et tunc præterlapso vicennio reum nihilominus condemnari posse cum Carpzovio a.) statuit Lauterbach, b.) quoniam nimirum per Magistratum non stetit, quod inquisitio non fuerit formata, nec reus condemnatus, sed ipsius culpa & fuga moram invexerit, quæ à poena ipsum nequam liberare possit; aliter enim si diceretur, absentibus occasionem præberi liberrimam, poenam effugiendi. Eadem haud dubie ex istorum dictorum sententia applicari debent ad eum casum, si quis fuga sibi ab initio consulens post vicennium à concive accusetur. Nobis autem concedenda quidem videtur hæc assertio in eo casu; si quis contra fugientem processum, vel inquisitorium, vel accusatorium formare inceperit, quamvis eundem ad sententiam usque non fuerit prosecutus. Et de hoc casu etiam puto loqui responsum Dominorum Scabinorum à Carpzovio adductum. At si nulla plane accusatio aut inquisitio fuerit instituta, rationes Carpzovii ejus sententiam non persuadent. Cum enim etiam absente reo accusatio & inquisitio institui possit, omnino quod istam institutionem omiserint per accusatorem & Magistratum stetit, neque adeo admissa sententia contraria occasio dabitur liberrima fugientibus, ut poenam evadant.

a.) *d.* q. 141. n. 56. b.) *d. thes.* 26.

§. 44. Ex dictis etiam non difficile erit respondere ad quæstionem aliam huc spectantem. An scilicet rei confessio præscriptioni sit contraria? hoc est, an reus si post viginti annos coram iudice sponte nec tormentis nec squalore carceris coactus, nullaque promissione vel comminatione inductus specificè, id est, delictum cum omnibus suis qualitatibus rotunde, clare, & constanter fuerit confessus, non obstante hac 20. annorum præscriptione puniri possit. Communiter negant Doctores quæstionem, etiamsi delictum sit notorium a.) quæ opinio & nobis arridet, non equidem quod sit communis aut ex testimonio Farinacii verior (huic enim non infrequens est in decisionibus controversiarum, si rationibus destituatur,

sequenti formula demonstrandi uti: *tu crede, quia est pura veritas*) sed quod præscriptio ipso jure crimen tollat, quorum spectant phrasæ, quibus leges in circumscribenda præscriptione utuntur, b.) quodque omnis controversia & causæ cognitio super crimine quiescere debeant. Jam vero etiamsi crimen sit notorium, etiamsi reus id distincte confiteatur, causæ cognitione tamen erit opus, c.) unde frustra urgent dissentientes, d.) quod confessio sit optima, nobilissima & omnium probationum regina, quodque non facile crimen quis confiteri dicatur, cujus reus non sit. Nam ut à posteriori ratione incipiamus, continet ea præsumptionem non juris d.) sed hominis, quæ hic non consideratur, adeoque falsa est etiam prior assertio, cum ita regula de confessione vim probationis habente procedat tantum in civilibus. Deinde posito quod & in criminalibus confessio sit probatio optima, sufficet tamen nobis, quod probatio hæc causæ cognitionem requirat, quam hic vetant leges.

- a) *vid. Farinac. d. q. 10 n. 14. Guazzin. d. cap. 2 n. 17. seq. Carpz. P. 1. Constit. 25. Def. 3. Lauterb. th. 26.* b.) *vid. supra §. 6.* c.) *l. 1. §. 17. & 27. de confess.* d.) *ap. Lauterb. d. th. 26.* e.) *arg. d. l. 1. §. 17. & 27.*

§. 45. Neque adeo opus habemus in media sententia B. Lauterbachii refugium quærere, qui in hac opinionum diversitate multum prudentis & æqui judicis arbitrio relinquendum & distinguendum esse putat a.) an præter confessionem aliunde quoque de delicto & ejus qualitatibus certo constet, an verò nullæ aliæ adsint probationes, quæ religionem Judicis satis instruere possint. Priori in casu haud aberraturum esse judicem, si in criminibus jure naturali prohibitis posteriorem sequatur sententiam, h.) quæ statuit punire posse judicem etiam præterlapso vicennio. Unde etiam iudicio Tesauri Senatum Pedemontanum, qui reum post 25. annos à notorio absolvit homicidio, melius fecisse c.) si ipsum in aliquam pœnam condemnasset. Hinc & Guazzinum addere, tutius d.) esse reo quoad pœnam scilicet temporalem evitandam, si delictum præscriptum non fateatur. Posteriori verò casu sententiæ communi inhærendum videri. Eo magis vero confirmamur, ut istam Lauterbachii distinctionem hic non putemus esse necessariam, quod videmus etiam

iam eadem abstinuisse Dominos Scabinos in præjudiciis à Carpzovio
e) recensitis.

a.) d. t. b. 26. b.) arg. l. 1. §. 17. ff. de question. Sed nego hic
consequentiam quam ex istâ lege Lauterbachius pro sua opi-
nione nectere vult. Taceo, quod illa quidem lex inter crimina
jure naturali prohibita & alia omnino non distingvat, c.) imò
in eo potius peccavit iste Senatus, quòd in crimine hoc notorio
non ante elapsam tanti temporis spatium processum formave-
rit delinquenti, vel si hic fortè fuga sibi consuluit, quod non
saltem inquisitionem instituerit vid. supra §. 44. d.) sed non
statim quod minus tutum est in praxi, id quoq; minus verum
erit. e.) Prax. Crim. q. 141. n. 42. & 69. verbis: Wenn
Ihr nun gleich dessen geständig / oder mit recht überführet
werden müchtet.

§. 46. His præmissis absque ulteriori morâ ea quæ hætenus di-
ximus ad quæstionem propositam, quo tempore crimem Bigamiae præscri-
batur? erunt applicanda. Ac quidem initio, ex communi interpretum
sententiâ dicendum videbatur: I. Nullo tempore præscribi bigami-
am, cum suprâ a.) fuerit ostensum atrociora quædam delicta eximi à
præscriptione. Et sane si istam opinionem admittamus, quæ inter de-
lictâ atrociora referebat etiam crimen suppositi partus, falsæ monetæ,
concussionis & abortus &c. nulla ratio afferri poterit, cur non & biga-
mia eo referenda sit, quæ istis delictis si non præferri debeat, certe ta-
men cum iisdem pari passu ambulet. Sed quoniam simul prolixè ibi-
dem b.) ostendimus istam sententiâ ex malè intellectis quibusdam Ju-
ris Justiniani rextibus ortum sumpsisse, sublato fundamento etiam hæc
assertio de præscriptione bigamiae corruet.

a.) §. 18. seqq. b.) §. 19. seqq.

§. 47. Igitur pergimus ad regulam de præscriptione crimi-
num, ex q. à fortè poterit responderi. II. Bigamiam præscribi vicensio,
præmissis cum hæc assertio variis suffulta sit rationibus. Nam (1.)
Bigamia in Jure Justiniano nusquam à regula legitur fuisse excepta,
tamdiu autem regulæ standum est, donec exceptio doceatur. (2.) In
dissertatione priori a.) ostensum fuit, crimen bigamiae esse gravius ad-
ulterio vulgari, ac ita etiam appellari diserte in constitutione Carolina.
Igitur præscriptio quinquennii in adulterio recepta non debet extendi
ad

ad crimen bigamiæ, cum exceptiones sint stricti juris, adeoque strictè explicandæ. (3.) Accedit, quod ipsum jus Romanum adulterium secundum regulam præscribi voluerit, si concurrat cum incestu b.) idem itaque dicendum erit, si concurrat cum bigamia, quæ non minus delictum est, ac incestus. (4.) In specie, quod Jus Saxonicum Electorale attinet, idem dicendum erit, quoniam hoc etiam adulterium duplicatum à præscriptione quinquennali exempt, cur non igitur & bigamia censi debeat exempta, cum & hæc æque gravis esse videatur ac adulterium duplicatum.

a.) §. 56. seq. b.) vid. supra §. 29. & 37.

§. 48. His tamen non obstantibus regulis, bonæ interpretationis nobis convenientior videtur sententia III. *Bigamia crimen præscribitur quinquennio*, ob unicam rationem, quam sufficientem esse arbitramur, quod omnia delicta, quæ lege Julia de adulteriis fuerunt vetita, quinquennio præscribantur, a.) in specie adulterium & stuprum. b.) Jam vero late ostendimus Bigamiam ex hypothese Juris Romani esse speciem partim adulterii partim stupri c.) ex hypothese si vero juris moderni d.) esse semper adulterii speciem. Quæ igitur de genere prædicatur præscriptio quinquennii, eadem & de omnibus speciebus, quæ non expresse sunt exceptæ, qualis non est Bigamia, præditari debet.

a.) vid. supra §. 25. seqq. b.) vid. §. 26. & 27. c.) vid. Diss. priorem §. 63. seqq. d.) dicta dissertat. priore. §. 56. seqq.

§. 49. Declaramus vero sententiam nostram, quod quinquennium hoc computari debeat non à tempore bigamiæ contractæ, sed à tempore quo eadem finita est. Est enim Bigamia ejusmodi delictum, quod continuatur tractu temporis & iteratur. Si enim semel quis conjugi superstiti aliam conjugem per conjunctionem carnalem superinduxerit, perpetuo, quamdiu cum hac posteriori manet, bigamia continuatur, etiam eo tempore quo non frequentat conjunctionem carnis. Nam quemadmodum dominium à possessione, possessio à retentione corporali quidem incipit, sed nihilominus dominium etiam sine possessione, possessio sine actu corporali continuatur solo animo; ita & bigamia quidem ad sui essentiam conjunctionem carnis requirit, qua semel facta etiam sine eadem subsistit. Quod si insuper conjunctio carnis à bigamo vel bigamâ frequentetur, multiplicabitur

tur

tur quoque si non bigamia, certe adulterium bigamicum. Jam autem supra ostendimus in criminibus continuatis & iteratis præscriptionis initium currere à tempore finiti vel à tempore ultimi delicti.

a.) §. 50.

§. 50. Quod si quæras ulterius: quo tempore bigamiæ crimen finitum esse censeatur? respondebimus: id variis modis posse contingere. 1. Morte Bigami, 2. Morte conjugis prioris, 3. Morte conjugis posterioris, cum qua bigamia fuit commissa, 4. Matrimonio cum priore conjugate juste hoc est judicialiter soluto, 5. Denique ab eo tempore quo certo demonstrare potest bigamus, se ab altera conjugate cum qua bigamiam commiserat, seria poenitentia ductum revera separasse. Ac prioris quidem tres modi nullum habebunt dubium, de quarto vero & quinto adhuc pauca moneri debent.

§. 51. Diximus Bigamiam finiri si matrimonium prius judicialiter fuerit solutum. Finge Cajum dereliquisse uxorem suam, & alibi cum Mevia contraxisse nuptias. Octennio elapso uxor prior Caji impetrat à Judice suo ut propter malitiosam desertionem & adulterium bigamicum Caji ab ipso liberetur & prius istud matrimonium dissolvatur. Puto hic à tempore dissolutionis quinquennium currere, nec post illud elapsum adversus Cajum de bigamia inquiri posse, etiamsi vivat adhuc ejus prima uxor, etiamsi vivat & altera. Quoniam per divortium ex capite adulterii solvitur non solum vinculum respectu innocentis, sed & respectu nocentis, ac huic quoque ad secunda vota transire permittitur. a.) Igitur ab hoc tempore Conjugium illud secundum Caji non amplius pro bigamia haberi debet.

a.) *Carpz. Jurispr. Eccles. l. 2. def. 191.*

§. 52. Aliam rationem esse puto, si pars innocens absque sententia judiciali per solam bigamiam partis nocentis se liberatam forte putans & ipsa aliam conjugem sibi quærat. Finge: Caja maritum suum Titium deserit & Sempronio nubit, cumque hoc per decennium in bigamia vivit, decennio elapso Caju privata autoritate ducit Meviam. Hic Caju præscriptionem allegare non poterit, etiamsi post illud primum decennium vitam conjugalem adhuc per quinquennium cum Sempronio continuaverit. Nec obstat, si urgeas, quod ex communi brocardo adulterium solvat conjugium ipso jure, adeoque videatur vinculum inter Caju & Titium statim esse solutum, postquam Titius Meviam duxit.

duxit, quia hoc ipso Titius etiam commisit adulterium. Petemus enim hic ut prius nobis respondeas, cur non obstante isto brocardico Titius à Caja relictus & Meviae se jungens adulterium & bigamiam cum Mevia incurrat, cum tamen Caja nubendo Sempronio jam adulterium commiserit & ita ipso jure vinculum inter eam & Titium secundum istud Brocardicum videatur esse ruptum. Quamcunque responsionem nobis dederis, eadem etiam utemur adversus te.

§. 53. Diximus porro finire bigamiam si bigamus se ab altera conjuge cum quâ bigamiam commiserat poenitentia ductus reverâ separaverit. Quamdiu enim ista separatio non fit; manet & continuatur bigamia ut modo declaravimus solo animo, etiamsi non continetur conjunctio carnalis. At separatione facta cum & conjunctio corporis & animi cesserit, cessabit etiam bigamia, non aliter ac possessio & dominium deficiunt, si animo & actu corporeo eadem derelinquamus. Voco autem hic separationem realem quando non solum conjunctionem carnis omittit bigamus, sed & insuper affectionem maritalem deponit. Præterea & illud noto: In dubio præsumtionem esse contra bigamum, quoniam separatio ista facti est, adeoque à bigamo probari debet. Probabitur autem v. g. si bigamus & altera ejus uxor coram Notario declarent, quod in posterum à se invicem abstinere ac matrimonium bigamicum pro nullo habere velint, sique post hanc declarationem etiam separatim habitent, ac nulla suspitione iteratæ de novo turpis consuetudinis graventur.

§. 54. At inquires cur non & in matrimonio isto secundo requiris ut per sententiam judicalem solutio fiat, sed bigamo concedis privata autoritate se separare, cum tamen in præcedenti casu asserueris bigamiam non tolli, etiamsi pars innocens privata autoritate aliam duxerit. Sed respondebimus hic esse disparitatis rationem. Nam prius istud conjugium non ab initio erat nullum, sed juste contractum. At conjugium posterius bigamicum ipso jure nullum est, ac propterea declaratione judiciali haud est opus. Quod si istes conjugium cum marito impotente contractum etiam ipso jure nullum esse, & tamen hic privata autoritate separationem institui non posse, sed ex doctrina Carpzovii, a) sententia judiciali esse opus, eaque non impetrata ab uxore adulterium committi, regram sententiam istam certe ex hypothese Juris Romani variis rationibus impugnari, ostendi-
que

que facile posse, uxorem istam si ante judicialem separationem fornicetur, pro adultera non esse habendam, b.) ac præterea quoad mores nostros Carpzovium de eo casu esse intelligendum, ubi nullitas est dubia, quæ causæ cognitione habet opus, utrum impotentia mariti sit curabilis, an minus. Inde non arbitror moribus nostris dissolutione judiciali opus esse, si v. g. de facto nuptiæ cum eo qui notorie Eunuchus est, sint celebratæ, aut si incestæ nuptiæ, quæ & ipsæ matrimonium nullum reddunt, fuerint contractæ, c.) sed & hic crimen finiri statuimus, si partes privata autoritate se separent.

a.) *Jurispr. Eccles. lib. 2. def. 200.* b.) *arg. l. 13. §. 4. & 6. ad L. Jul. de adult.* Quamvis enim in d. l. 13. concedatur marito, uxorem adulterii accusare jure extranei, tamen si accurate loqui volumus, ista accusatio jure extranei facta in hoc casu non fuit de adulterio, sed de stupro, quod lege Julia equali pœna cum adulterio fuit punitum, unde & lex stuprum ac adulterium promiscue usurpavit. Quod hodie secus est, c.) *Facit arg. l. 38. §. 6. ff. ad L. Jul. de adult.*

§. 55. Limite vero assertionem meam de præscriptione quinquennali bigamiæ eo casu, ut non procedat de Jure Saxonico Electorali, si uterque secundas nuptias ineuntium sit bigamus, hoc est, si alterius uxoris maritus cum uxore alterius mariti bigamiam contrahat, quia hæc bigamia est species adulterii duplicati, in quo quinquennii præscriptionem Serenissimus admittere noluit.

a.) *vid. supr. §. 38.*

§. 56. Restat ut paucis respondeamus argumentis, quæ pro secunda sententia quod bigamia vicennio præscribi debeat, afferebantur. Quod igitur (1.) concernit: bigamiam à regula non esse exceptam, fatemur equidem verbis conceptis in Jure non haberi, quod bigamia quinquennio præscribi debeat. Sed sufficit nobis, quod adulterium à regula exceptum sit, bigamia vero sit species adulterii.

§. 57. Et quamvis (2.) Bigamia gravius delictum adulterio in constitutione Carolina appelletur, supra tamen late probavimus intelligi tantum gravissimam speciem adulterii, non crimen ab adulterio genere diversum. Itaque cum Jctus velit omnia delicta lege Julia notata præscribi quinquennio, neque inter vulgaria & atrociora distinguat, nec nostrum erit distinguere, adeoque nos exceptionem à

E

regue



regula ad aliud crimen quod lege Julia comprehensum non erat, nequaquam extendimus. Supra b.) simul jam occurrimus exceptioni, si quis eam differentiam inter bigamiam & delicta lege Julia vetita afferre velit, quod in his quinquennium fuerit præfinitum tanquam in criminibus occultis, & difficillimæ probationis, Bigamiæ crimen contra plerumque contrahi publice & in conspectu totius Ecclesiæ, adeoque cessante ratione quinquennii indulti cessare etiam ipsum quinquennium, nam deduximus istam rationem pro genuina habendam non esse.

a.) *disp. priore §. 56. seqq.* b.) §. 39. 40.

§. 58. (3.) Argumentum ab incestu ad bigamiam admittere non possumus, tum quoniam incestus & bigamia sunt crimina diversa, ac propterea quæ de incestu per modum exceptionis à dispositione legis Juliæ afferuntur, ad delictum diversum extendi non debent, quia exceptio exceptionis etiam exceptio est, adeoque ex adversariorum sententia stricti juris, atque extensionis incapax; tum quia & insuper ea adest rationis disparitas: Incestus in se diversum crimen ab adulterio & stupro erat, lege Julia haud notatum: a.) committitur enim & per incestas nuptias absque adulterio aut stupro. b.) Sed Bigamia semper adulterium est aut certe (ex Romani Juris hypothese quandoque) stuprum, semperque adeo ad delicta legis Juliæ pertinebit.

a.) *supra §. 32. seqq.* b.) *vid. §. 37.*

§. 59. (4.) Eadem ad quartum argumentum ex constitutione Electorali, qua adulterium duplicatum à quinquennii præscriptione removetur, desumptum responderi possunt, scilicet & hic esse argumentationem à diversis, si nempe inde ad quamvis bigamiam velis argumentari. a.) Nec juvabit, si afferas, bigamiam omnem in eo convenire cum adulterio duplicato, quod nec hæc possit remitti propter intercessionem conjugis, b.) cum in adulterio simplici intercessio alias admittatur. Nam recurret eadem responsio, argumentum à diversis desumi, cum aliud sit remissio poenæ, aliud præscriptio ab actione criminali.

a.) *conf. §. 56.* b.) *vid. disp. priorem tb. penult. in fin.*

§. 60. Atque hæc sunt quæ de præscriptione bigamiæ dicenda habuimus. Quod si rem acu tetigimus, erit, quod nobis gratulemur, sin minus, veniam nos impetraturos confidimus, cum neminem Do-

ctorum



storum nobis evolvere, aut invenire licuerit, qui quaestionem hanc spinosam tractasset, si paucissima excipere velis, quæ hac de re scripta reliquit Magnificus Dominus Schilterus, a.) ex cujus perfectione fatemur nos ansam sumsisse disputationem præsentem conscribendi. Idem Dn. Schilterus subjicit postea b.) rationes decidendi Dnn. Scabinorum Lipsiensium, quas Serenissimo Electori dederunt super responso quodam, in quo foemina, quæ ultra viginti annos bigamiam continuaverat, gladii poenam dictaverant. Uti vero istas decidendi rationes paulo prolixiores ex Dn. Schiltero huc transcribere nolumus, ita non pigebit tamen ad meliorem dictarum rationum decidendi intellectum responsa illa, ad quæ rationes decidendi se referunt, à Dn. Schiltero omissa, nobis vero benevole communicata coronidis loco apponere. Primum conceptum fuit Weissenfelsam versus mense Junio 1656. ut ipse Dn. Schilterus jam notavit. Werden Christina / Peter L. Witbe / und Georg S. beschuldiget / daß sie Anno 1632. sich mit einander öffentlich copuliren lassen / und ein halb Jahr ehlichen beyammen gewohnet / nach Verfließung dessen aber / und als sich das Weib schwanger befunden von ihrem Ehemanne / welcher damals zu Freyburg im Quartier gelegen / Urlaub genommen / und zu ihren Eltern nach Kierisch gezogen / mit versprechen / wenn sie des Kindes genesen / und die Sechswochen ausgehalten / wieder zukommen / so sie aber nicht gethan / sondern hinter ihres ersten Ehemannes Wissen und Willen sich anderweit mit Peter L. verhehliget / und demselben in die 22. Jahr ehlich beygewohnet / und hat gemeldeter H. nach dem er erfahren / daß sein Weib unterdessen einen andern Mann geheyrathet / unangesehen sie ihm nachgezogen / und wieder zu ihm begehret / dieselbe auff Wiederrathen seines Obrist-Lieutenants nicht wieder zu sich nehmen wollen / sondern sich endlich / wiewol 10. ganzer Jahr hernach / auch zu Pernau in der Pfaltz mit einer andern verhehliget / welches beyde Inquiriti / als sie hierüber vernommen worden / nicht in Abrede seyn können. Ob nun wol die L. zu ihrer Entschuldigung vorwendet / daß sie anderthalb Jahr von ihrem ersten Ehemanne verlassen gewesen / ohne rechtliches Erkänntnis / auch nicht geständig seyn will / daß sie ihr Ehemann


Mann heissen zu ihm kommen / hierbey vorgiebet / sie hätte als ein junges Mägdelein von 16. Jahren auff zurathen ihrer Eltern und des Pfarrers Peter L. geheyrathet / als welche in denen Gedancken gestanden / eu were nicht mehr am Leben. Dieweil sie aber dennoch ihr Vorgeben weder durch zeugen noch sonst / wie recht / nicht beybracht und nicht zu vermuthen / daß sie von ihren Eltern oder dem Pfarherrn hiezuvor verleitet worden. So erscheinet hieraus und sonst allenthalben so viel / daß wenn Inquisition Bekantnis in guten nochmals richtig nicht thut will / ihr wol bezeugt / sie dem Scharffrichter zu untergeben &c. &c. So viel aber George H. belanget / dieweil sich derselbe / nachdem er erfahren / daß sein Weib an ihm brüchig worden / bey dem Geistl. Consistorio nicht angemeldet / und von derselben loszehlen lassen / so wird er gestaltten Sachen nach / 2. oder 3. Jahr lang mit Landesverweisung in Straffe billig genommen. **V. R. W.** Alterum eodem directum M. Julio ejusd. anni. Hat Christina Peter L. Witbe nunmehr in Güte bekant / daß sie damals als sie Peter L. geheyrathet / wol gedacht / daß ihr erster Mann / George H. noch am Leben seyn würde / in gleichen hetten auch ihre Eltern nicht dafür gehalten / daß er todt sey / weil sie zu solcher Heyrath allerdings nicht rathen wollen / und wendet allein ihre damalige Jugend und grosses Armuth vor / in dem sie ein Mägdelein von 14. Jahren gewesen / und mit ihren Kindern in dem Kriegswesen sich nicht ernehren können / nach mehreren Inhalt der Inquisition Acten.

Danun ist gemeldte Inquisition auff ihrem gethanen Bekantnis für Gericht freywillig verharren / oder des sonst wie recht überwiesen würde / so möchte sie von wegen solchen begangenen und bekanten Lasters der zwiefachen Ehe mit dem Schwert vom Leben zum Tode gestrafft werden / und mag ohne Ihr. Ehrst. Durchl. unsers gnädigsten Herren gnädigste Bewilligung ihr die Straffe weder gemildert noch erlassen werden.

V. R. W.
F I N I S.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]





97692

01 A 6583


ULB Halle 3
003 093 182



5b.


01A





DIS





~~20~~
L. D. B. V.

Permittente
Magnifico Jctorum Lipsiensium Ordine
DISSERTATIONEM JURIDICAM
De
BIGAMIAE
PRÆSCRIPTIONE

Von Verjährung
Der zwiefachen Ehe
SUB PRÆSIDIO
DN. D. CHRISTIANI THOMASII,
Præceptoris sui venerandi,
P. P.

GEORGIUS Geyer / Lipsiens.
Ad diem XII, Decembr. M. DC. LXXXV.
H. L. Q. C.

Literis JOHANNIS GEORGII.

